

7.  
Poeth. Latina  
Poeth. moderne  
Cart. V. n. 83.

CATULLO CALVOS.

TYPIS JOH. ENSCHEDÉ ET FIL — HARLEMI.

DONO

1911

*G. Federroni*



CATULLOCALVOS.

JOHANNES PAVELLE

CATULLOCALVOS.



CATULLO CALVOS.

---

SATURA

JOHANNIS PASCOLI

EX CASTRO SANCTI MAURI

IN CERTAMINE POETICO HOEUFFTIANO

MAGNA LAUDE ORNATA.

---

AMSTELODAMI  
APUD IO. MULLERUM.  
MDCCLXXXVIII.

CATULLI LOCALVOS

SATURA

JOHANNIS PASCOLI

EX CASTRO SANCIT MARII

IN CERTAMINE POTIORI HORUPTIANO

MAGNA LAUDE GENATA

INSTITUTUM  
MUSEUM

1875

SATURA

JOHANNI

COMITI CODRONCHIO ARGELIO SENATORI

SACRA.

CATULLO LOCALVOS.

Ibat per *Veteres* tunicatus forte *Tabernas*  
quidam annis iuvenis nec voltu serior idem,  
bellus et urbanus, nihil indefessus agendo.  
si toga dest umeris, digito non, thunice, laevae,  
anule, non destis levibus, sicyonia, talis.  
praeterea flavos, procero corpore, sic ut  
trans ripas fortasse Padi crevisse putares.  
cetera nil optet puero nutricula, quod non

esthoni oh Sione (ni  
Paldpauero)

huic uno tribuat, formam, rem, denique mentem,  
 aspectu quivis, nisi quid color arguit albus  
 atque inducta genis oculorum longior umbra.  
 venerat ad nonam pedetemtim a Castore pilam,  
 qua crotalis sonat et mima saltante taberna:  
 exadversus adest statura parvolus alter,  
 mundus et acer et is qui vano plurima gestu  
 secum ageret, digitis conclusis rite duobus,  
 saepius extendens infesto pollice dextram.  
 perstrictus taciti strepitu certaminis auris  
 cauponam pernix evaserat, ecce „Quid?“ audit:  
 'quo videor, Licini, tibi casu struma Vatini?  
 nam minitabundus praeter nos ire parabas.  
 effluxitne animo quod heri convenit? adesdum!"  
 „O Valeri, mi feste dies' respondit, 'at adsum.  
 nescioquid mecum gradiens meditabar et ultra  
 quam vellem, mentis nos impetus ipse ferebat.  
 quid tu, belle? satin recte? sed pallor amantem

arguit. heu vereor ne exerceat illa βῶπις  
 Alciden Iuno te alium. cave. consulis uxōr  
 est, si non eadem Iovis est uxorque sororque!"  
 „Nugaris, Licini: nihil hoc' ait 'adinet ad nos.  
 amentis, nec amantis erat."

„Cur? scire laboro.

dic nobis' inquit 'sodes, ἵνα εἶδομεν ἄμφω."

„Nosti: non vir me consul, non Iuppiter ipse  
 deterreret, ut iste bonus deterret adulter,  
 qui colit, arguet, amat, qui rursus respuit, odit,  
 istud qui nomen de more βῶπιδι fecit."

„Num Cicero?"

„Cicero."

„Qui? quaeso. nonne patronus  
 optimus. . .?"

„Em! fateor talem mihi, stante corona,  
 visum, cum graviter — sit sanctum — dixit — apud vos  
 hoc igitur nomen (meministin, Calve?) poetae —

nunc aliud longe est."

„Quine ipsos saepe poetas  
elūdit. . ."

„Sine nos elūdat, iure vocet nos  
*cantores*, dum ne mox ipse poemata tangat!"

„Dum ne, inquam, desiderio se venditet ultro,  
false, tuo! sed macte, puer, virtute: nihildum  
profecit, nihil, adiuro, post proficiet, si  
vera Terentia, quod dicunt, praesensit."

„Ain tu?"

„Sic."

„Me, ocelle, beas."

„Et ab hoc metuo Pulchello,  
*Patri* quem dicunt *Patriae* ne forte mali quid  
apportetur, at hora abiit iam tota. tabernam  
cur cessas intrare pudens?"

„I prae, sequar."

„Euge!"

Ut consederunt, melioris <sup>cupula</sup> copa lagenam  
iussa notae tulit et cyathos. potatur. utrumque  
mōvit deinde pedum et manuum crotalistris plausu;  
te magis heu, Valeri. nam dum flagrantibus illi  
imminet hic oculis et toto pectore, lapsu  
forte pugillares ita defluxere tabellae  
in mensam. quibus obrepisti, Calve, sinistra.  
arripit et subito legit et pronuntiat — *Ille*  
*mi par esse Deo*. . . —

„Iam Calvom iure vocem te,  
Marrucine Asini?" conclamat, 'redde' Catullus  
'redde pugillares."

„Ad calcem dum veniam, sis."

„O sectumque mala mihi sutumque alite buxum!  
moecha mihi pridem quod ridens involat, et nunc..."

„Nunc minime tibi moechus ego; magis, inprobe, moecho.  
qualis enim est, cyathis totidem quae pulchra bibatur  
Lesbia, quot bibitur Celeris, si collibet, uxor?"

heu vere statuo nimium gestire Catullum!"

„Ten sanum, iucunde, rear?"

„Si scribere versus  
insani est, dicas ambo insanire licebit."

Arreptoque stilo coepit perarare tabellas.

it stilus et tenui proscindit vomere ceram:

nusquam haeret nec cunctatur nec vertitur umquam.

*Colvo;* I. EIDOLON HELENAE. *folerici*

Otiùm, Valeri, tibi molestum est.

somnias vigil atque vana captas

nubila, aera solitudinemque,

seu quid vanius est inaniusque.

namque femina non id est, quod ipsa est,

sed quod esse cupis, quod esse reris

tute eam; tibi non amatur ipsa,

sed tuae mera mentis umbra quaedam.

Idaeaque Helenen trahis biremi,

concupiscis, haves, amas, potiris,

pugnasque et cruciaris interisque:

tu quidem excruciabere et peribis:

in Pharo latet insula puella,

quam verax habitat senex marinus.

Tum, Valeri, certas aequatam currere ceram.

it manus et metam velox evitat et addit

in spatia: inversa buxum conscribitur hasta.

*e.* II. ALAUDAE. *Alfay*

Tintinant aures mihi nuntiantes

non ita absenti bona verba dici,

mens nec ipsa iam meliora de me

sentit et adfert.

*auri* quin et ex alto videor mihi corde

omen exaudire malum, velut si

tu gemas, orto Cane, parra, nulli

conspicienda.

sentio: sed quid faciam? voluptas



<sup>in eddit</sup>altior sensus animumque tangit  
 et beat, <sup>laudem</sup>monstrent licet haec et illa et  
 omnia letum.<sup>ante</sup>  
 4. Inminent <sup>in</sup>campis nebulae malignis,<sup>in illi</sup>  
<sup>volans</sup>alites <sup>supra</sup>ipsis nebulis rapaces:  
 garrunt vero super has et illas  
 semper alaudae.

Hinc voluit propriis Calvom meminisse Priapi  
 versiculis, elegis Sileni Musa Catullum.

## III. PRIAPUS.

Sola deliciis suis destituta puella  
 quaedam reptat in hortulo, subrubent ubi mala,  
 iamque humi <sup>cucumis</sup>viret, iam <sup>cucurbita</sup>pallet.<sup>in pueris</sup>  
 tristis adloquitur senem mox puella Priapum:  
 „Cur, quaeso, iuvenis <sup>in alaudae</sup>iubet me valere, Priape,  
 cuius in tenero <sup>in amore</sup>fides tanta amore reperta est?  
 cui nemo facinus volens exprobraverit, unum

praeter hoc miserae mihi, nolit ipse <sup>inde</sup>quod unus?  
 qui tamen sequitur malam stultus omnivolamque  
 feminam, et magis et magis tanto deperit illam  
 quanto digna minus minusque et videtur et ipsa est.”  
 Cui Priapus: „In hortulo falce qui tibi tutus  
 est mea, domina, aspice ut mala dulcia pendent,  
 aspice ut tibi et imminent sorba livida eidem.  
 quae si sponte cadunt, <sup>recipit</sup>legis sorba, mala relinquis.  
 namque dulcem ab eo trahunt ipso sorba saporem  
 unde amarities venit multa marcida malis.  
 haec <sup>conata</sup>contusa, puto, levi <sup>allentis</sup>quamvis volnere sordent,<sup>non spagiate</sup>  
 haec sunt in pretio magis quo sunt putidiora.”

## III. SILENUS.

„Te clausum <sup>in</sup>gleba Pariorum marmoris una  
 in <sup>care</sup>lapidinis <sup>in</sup>delituisse ferunt. <sup>delitescere</sup>  
 aevi qui <sup>in</sup>cursum, qui longa silentia labi <sup>in</sup>  
 audieris longis pervigil auriculis;  
 cum vero cunei diviso marmore glebam

solverunt, exstas protinus e lapide;  
 dic age, quae tantum diducat labra voluptas  
 et quo sis nobis nomine rite deus."  
 „Nullus eram latuque diu Silenus, et idem  
 hic Genius bruti marmoris usque fui.  
 nil circum nisi marmor erat, pars marmoris ipse:  
 sic magno mixta est parvola gutta mari.  
 hic Amor uda tuens, hic mecum nuda latebat  
 emergens pelago Praxitelia Venus,  
 hic Bacchus mecum florens, hic Maenades: euhoe!  
 nocturnoque lapis murmure plenus erat."  
 Hic ubi facundi calices hausere Falerni,  
 alterni dicunt discordi carmine Noctem.

V. NOCTIS PARTES PRIORES. *Calvo.*

Abibat in crepusculum dies nimis morata.  
 inops, amore perditus, domo remotus, 'Inger,  
 vini minister, inquit, scyphos meracioris.'

ut lychnus igne floruit, iam prima fax bibentis  
 rugis videt senilibus frontem solutiorem.  
 cubare tempus ut fuit, caput mihi bibenti,  
 quae me, puella, fugeras, exocularis absens.  
 ut tempus omne defuit, me visus est bibente  
 adesse tinnulum mihi qui commodaret aurum;  
 mediaque nocte principes et plebs domum bibentem  
 magnis vocare plausibus me; rex et audiebam.

VI. NOCTIS PARTES ALTERAE. *Catullo*

Ut galli cecinere, illud 'Ave et perpetuo vale'  
 invitus recolo, quod neque, lux, audieram libens.  
 quare, sic ut erant cuncta gravi pressa silentio,  
 omnes adfuerunt iam positae sollicitudines.  
 subversos calices deseruit lychnus et in nigris  
 me solum tenebris et memorem destituit mei.  
 dilucescit: abest et genetrix et pater et domus,  
 telluremque aliam sol alius detegit exsuli.

Tum tardo sulcant ambo mucrone tabellas.  
te, Circe, Calvos canit et te, Anticle, Catullus.

## VII. CIRCE.

Ut Sole nata Circe semel adtigit oculis  
heroa, subitus aegros amor inpulit animos;  
itaque ad pedes viri amens provolvitur; ab ec,  
prensus genibus, amorem petit anxia misere.  
*quid atroxnes ih Jovis, quid populator urbium?*  
quid tu, genite Laerta, populator urbium?

simul undique pepulit lux umbras nova resides,  
socii ducem foventes calida stabula sues

limis vident Ulixen fera per nemora gradi.

comes est itineris illi vaga cerva pede levi.

hanc virgula cohercens, quocumque cupit, agit,

quae virgula sociorum male terga tetigerat.

cicuresque iam leones domitique modo lupi

surgunt eramque longis ululatibus agitant.

## VIII. ANTICLUS.

(2)

Dimicat Anticlus: pugnanti personat auris

cognita longinqua magā vox a coniuge, clausum  
quae vox nuper equi lignea conmorat in alvo.

paene vir et socios et se ipsum prodidit amens,

absentis vocem simul exceptit Hypereas,

ni manibus multaque os compressisset Ulixes

vi respondenti iamiamque exire volenti.

‘Infans! non coniunx’, inquit, ‘tibi: Tyndaris haec est,

quae teque in letum vocat et communiter omnis!’

sic erat: ille memor carae nunc coniugis instat

et furit in Troas facibus nocturnus et hasta,

donec Deiphobi pugnans procumbit ad aedīs.

ardebant aedes, cum vir iam mortis in ipso

limine conspexit Menelaum. ‘Rex’, ait, ‘audi!

si quicquam de te meritus procul omnibus aegre,

invitus, morior carisque parentibus atque

fratribus atque domo, me fac Helene Ledaea

venge visat et, ut nuper, voces imitetur amatae

coniugis: hoc fuerit pro tantis luctibus unum,

coniugis audita si tantum voce quiescam.

annuit armipotens casum miseratus amici.

*nequius* ut vero (clara cingunt incendia flamma)

*non* prodiit et lento coram gradiens incessu

Tyndaris Anticlo semel adstitit admiranti,

'Ne, dea, ne quicquam, quaeso, Iove nata, loquaris'

inquit 'ut aspectam moribundo pectore portem

unam te servemque memor, neu vita sub umbras

cum lacrimis fugiat sese miserata.' nec illinc

declinans oculos paulatim est obrutus umbra.

Tum duo versiculis vates caelestia tangunt:

Hesperus adridet Calvo, sed Luna Catullo

VIII. HESPERUS. *Calvo*

Ne, puer, maledixeris

linquens Lucifero domum

cum patris grege, cum pedo, *Vincastis*

quod tu, Lucifer ut iubet,

peram sumis abisque; *peram sumis abisque e. e. e.*

unus et peragras agros

tu quidem, unus et emicat

caelo Lucifer, atque alau —

dae superne canunt, sonant

*caelestis* tintinnabula terris.

ve perge, ne maledic, puer,

namque *de te* vespere te domum

sidus et referet. domi

ligna sunt, puer, in foco,

mater est, bona *hanc* puls est. *fulbis*

unus et peragras humi

tu quidem, unus et emicat

sublime Hesperus: abstulit *peram*

Lucifer, referet novo

nomine Hesperus idem.

Nupta, tu quoque ne nimis

criminare, quod Hesperus

tardus <sup>hæreat</sup> (hoc quidem

tu <sup>hæc</sup> tecum, bona sed palam

<sup>carpis</sup> advenientem):

uxor in thalamo viri

mane cras eadem nimis

criminabere quod nimis

Lucifer <sup>volat</sup> properet, novo

nomine Hesperus idem.

X. LUNA.

Luna, quae vaga vertici

montis et tacitis casis

inmines et anhelitu

lucidos <sup>legis</sup> amnis,

te canam miseris piam,

Luna, nam simul occidit

Sol et aurea cum die

Spes hinc avolat omnis;

non eam sinis exsulem

tunc abire, sed excipis

candido trepidam sinu

<sup>vestis</sup>; Luna, <sup>victae</sup>;

induis <sup>trepidæ</sup> tuum

lumen, atque <sup>silentiis</sup>

<sup>rosidis</sup> madidam tuis

huc Spem, Luna, remittis;

facta quae leve Somnium

clausas ingreditur domos,

<sup>omne</sup> exilisque, opè quā solet,

dormientibus adstat.

Haec tu, Calve, supervolitans levis aequora cerae:

XI. NESTOR.

Eamus! ecquis ancorale solvere

moratur? ecquis alba vela pandere?

eamus atque iam <sup>petamus</sup> insulas

ubi est Achillis <sup>umbra</sup> praepetis pedes.

humi haeret hasta, currus adstat, hordeo  
 equi fruuntur, arbori ipse se applicat;  
 sub arbore umbra Nestoris sedet senis.  
 'Fuisse pauper' Aeaci nepos ait,  
 'colonus atque pauperis, senex, quoque  
 bubulcus ipse, sed diutius quidem  
 fuisse mallet hic! quid interest enim,  
 age, omnibus vel imperare mortuis?'  
 'Deosne' Nestor inquit 'inmemor tui  
 lacessis usque, praeter una ceteros  
 beate? namque quicquid istud est, quod es,  
 adhuc iuventa prima suppetit tibi  
 equosque iungis, excitasque pulverem.  
 ego ille iure, qui prius Gerenius  
 eques vocabar omnibus, querar, magis  
 senex perennis usquequaque desidens.

Haec haerens uno versu tu quoque, Catulle:

## XII. REDITUS.

Eamus: esse nuntium ferunt matri  
 non belle. eamus: heu piaae malest matri,  
 periculose cara mater aegrotat,  
 exstinguitur. citata me rapit raeda.  
 est foedus aer, stridulo nataht imbri  
 viae. domum nanciscor, adferunt: 'Actum est.  
 iam nec potest videre nec potest fari;  
 matrisque membra solvit ultimum frigus.'  
 accedo. at oculum mater adlevat: fatur:  
 'Quin facitis ignem? pupulus meus friget.'

Alterni posthac referunt haec ordine vates:

## XIII. AMOR.

I.

(3

Ut violae circa ripas et flumina, cum ver  
 incipit et clari vicerunt frigora soles,

permulcent auras, procul et via fragrat odore  
 et procul aëria fruitur novitate viator:<sup>1</sup>  
 at propius cupide ripas accēde, viator:  
 nullus odor naris temptabit, nulla voluptas:  
 sic et amor: dum primus abest, dum fervet oletque:  
 si propius tandem, victus dulcedine, tangis,  
 iam nec olet nec fervet amor nec denique quicquam est.

## II.

(4)

Ut flos in clausis humilis viget hesperis hortis  
 inter odoratas violas et lilia, nullo  
 in pretio, quippe ex se nullum exspiret odorem:  
 praeteriens, luci despectat iure viator:  
 ast idem redeat multa vel nocte viator:  
 nocte olet et secum vigil aurea sidera mulcet:  
 sic amor: ut luci despectent, ut male volgo  
 audiat; ut tranquilla quies advenit et umbra  
 ille animum quodam secretum ture vaporat.

Hic Calvos: „Satis est lusum: labor ultimus hic est.”

## XIV. MEL.

At tu, Catulle, somnia, ut lubet: licet  
 captare nubes, experiri Lesbiam.

Tua, ut leo, in te patere, saeve, verbera,

sine illa taetra peste morboque implicet,

expellat omni pectore omne gaudium,

perurat intestina! nam quid adtinet?

flores amaros apibus offerat salix:

apes amaro ex flore dulce mel liquant.

tristisque amor progignet iste carmina

saeclis futura plurimis dulcedini.

Consurgunt tandem, nam serior appetit umbra.

mox vero ut minime iuvisset cena Catullum,

non oculos somnus noctu texisset (at illum

exceptit, lecto deserto, lectulus, et sic

Ver. c. 50

fecit, Calve, tibi parvom, iucunde, poema),

ipse, puto, dixit, nec me narrare necesse est.

ADNOTACIONES.

1. Plin. H. N. XXXVI? 4. 4: in Pariorum (lapidinis) mirabile proditur, gleba lapidis unius cuneis dividendum soluta, imaginem Sileni exstitisse.
2. Cfr. Hom. Od. IV 286 sqq.
3. Plin. H. N. XXI 18: odor suavior e longinquo propius hebetatur ut violae.
4. id. ib. hesperis noctu magis olet, inde nomine invento.

336

303001



Pag. 18 Poematis VII versum 5 sic leg.

*quid alumnus ibi Iovis, quid populat~~or~~ urbium?*





SCAFFALI ONLINE  
<http://badigit.comune.bologna.it/books>

\*Catullocalvos : satura Johannis Pascoli ex castro Sancti Mauri in certamine poetico  
Hoeufftiano magna laude ornata  
Amstelodami : Apud Io. Mullerum, 1898  
Collocazione: 7-L.LATINA POESIE MOD. 05, 083  
<http://sol.unibo.it/SebinaOpac/Opac?action=search&thNomeDocumento=UBO3586203T>

Questo libro è parte delle collezioni della Biblioteca dell'Archiginnasio.

L'ebook è distribuito con licenza Creative Commons solo per scopo personale, privato e non commerciale, condividi allo stesso modo



4.0:<http://creativecommons.org/licenses/by-nc-sa/4.0/legalcode>

Per qualsiasi altro scopo, o per ottenere immagini a risoluzione superiore contattare: [archiginnasio@comune.bologna.it](mailto:archiginnasio@comune.bologna.it)